



Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681

Punctum V. Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium
revocatum judicetur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)



PUNCTUM V.

Quae publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur?

Qualis publicatio revocationis à jure facta requiratur, ut revocatio subsistat.

45. **B**reviter ab hoc puncto expediemus, quia ejus materia magnam habet connexionem cum publicatione legum, de qua late egimus tom. 3. tract. 11. de legib. cap. 1. punct. 6. per totum: & ex ibidem dictis, quid in praesen dicendum sit, innotescit. Revocatio ergo privilegii potest fieri vel à jure, quando nimirum lege lata, & à Principe stabilita, privilegium illi contrarium revocatur: & tunc illa publicatio revocationis, requiritur ad ejus valorem; quam ad legis valorem, & obligationem esse necessariam, diximus loco citato: quia nisi constitatur in suo esse perfectè, & completè, sicut non habet vim obligandi, sic nec revocandi contrariam dispositionem contra eam; nec lex in suo esse perfectè constituitur, usquedum solemniter, & authenticè, publicetur, ut ibidem probavimus, & hoc modo sentit Lezana tom. 2. verb. privileg. Regular. num. 20. Suarez lib. 8. cap. 40. num. 1. Bonacina disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 3. num. 20. Salas disp. 17. quest. 17. n. 80. & 82. Palaus supr. §. 5. num. 1. Imo etiam requiritur, quod talis revocatio, quantumvis solemniter facta in Curia, pervenire possit ad notitiam privilegiatorum: quia sic videtur expediens ad convenientem ordinem gur-

bernij, & vitanda plura inconvenientia. Unde sicut de lege Canonica, aut Civili, diximus loco citat. num. 91. non habere vim obligandi nisi post duos menses à publicatione solemnij, facta in curia, ut illorum decursu possit pervenire ad notitiam singulorum, ita dicendum est de revocatione à lege, seu à jure facta, quod nisi post duos menses à publicatione, non habet suum effectum. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 28. Suarez supr. cap. 40. num. 3. Portel. supr. numero 1. Lezana num. 20. Non tamen requiritur, ut talis lex omnibus privilegialis innotescat; ut vim habeat revocandi privilegium, satis enim est si legitima promulgatio sit facta, & sufficiens tempus praeteritum, ut possit ad singulorum notitiam pervenire, licet de facto non pervenerit.

46. Facta autem legitima publicatione legis revocatoriae, ita ut ejus notitia ad Ordines communicantes, & Monasteria privilegiata pervenire possit; manet ex tunc privilegium revocatum, ita ut acta per illud non valeant, etiam si ignoranter, & sine culpa fiant, ut loco citat. num. 78. diximus: quia ignorantia excusare potest à culpa, non tamen praebere ad actum facultatem eis, qui talem facultatem non habent. Sed excipiuntur actus publici facti cum errore communi, & titulo colorato; nam isti validi sunt, non in vi privilegij, sed adminiculo juris, similes actus sustinentis, l. Barbarius ff. de officio Praetoris, Basil. lib. 8. cap. 19. num. 14. Lezana numero 20. Bordon resolut. 52 num. 237.

Post publicationem, invalidi sunt actus facti virtute privilegij.

Revocatio privilegij ab homine facta, qualiter debeat intimari.

num. 137. Suarez num. 9. Bonacina n. 20. Pellizzar. num. 100. Bassæus num. 5. Pr. Petrus ab Angelis, disp. 1. sect. 7. num. 1.

47. Quod si privilegium revocatur ab homine, vel mandato concedentis, vel alio privilegio contrario, vel alio modo privatim revocando privilegium præexistens; tunc non habet effectum talis revocatio, nec irrita gesta per dictum privilegium, nisi ad notitiam privilegiati perveniat, illique specialiter intimetur: quia hoc pertinet ad rectam gubernationem Ecclesiæ, ut nolit Princeps privilegiatos suo jure per privilegium quæriti privati, quo usque ejus revocatio illis innotescat, & intimetur. Tum etiam, quia quælibet revocatio privilegij debet habere aliquam publicationem: sed revocatio ab homine facta aliam non habet publicationem, quam illam per quam intimatur, & manifestatur eis, quorum interest; ergo &c. & constat ex privilegio Gregorij XIII. concessio Jesuitis, ut scilicet nulla derogatio sub qualibet amplissima forma præjudice suis privilegijs, si non fuerit illis intimata. Diana part. 3. tract. 2. resolut. 68. Cordub. lib. 4. quest. 38. conclus. 3. Pr. Petrus ab Angelis num. 1. Bordonus, & Lezana locis citat. Suarez num. 5. & 6. § Hæc autem intimatio debet fieri, vel per Epistolam, aut rescriptum, vel per nuntium ad id destinatum, & à revocante missum privilegiato: & non sufficit alio quocumque modo privilegiatum de sui revocatione privilegij notitiam habere; eo quod revocatio privatim

ab homine facta; debet notificari privilegiato, ne amplius utatur privilegio. Quod fieri rectè non potest nisi ipsi per Epistolam rescriptum; aut nuntium missum à revocante, intimetur: Bonac. num. 20. § Dixi, Lezana num. 20. Palaus num. 4. Pellizzar. num. 104. Basil. num. 14. Sa, verb. gratis, num. 1. Quod etiam videntur docere illi Authores, quos refert, & sequitur Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 30. num. 12. & disp. 36. n. 9. qui dicunt revocationem jurisdictionis ordinaria, vel delegatæ debere fieri per nuntium ad id destinatum; nec sufficere notitiam revocationis, aliunde habitam.

48. Sed notandum est primo: quod quando privilegium revocandum est alicujus Communitatis particularis, non est necessarium, ut intimatio ejus revocationis fiat cuilibet particulari, de tali Communitate; sed sufficit quod fiat Corpori Communitatis, scilicet ejus Capitulo; vel ejus Capiti, aut Priori: vel si concessum sit Provinciae, Provinciali; vel si toti Religioni, sufficit quod publicetur, seu intimetur Capitulo Generali, vel ipsi Generali: vel eis, qui eorum vices gerunt: & ex illis, cum primum possit ordinatè debet derivari notitia in singulos. Quod si negligenter se gerant, quibus hoc incumbit, absque dubio peccabunt graviter: ipsi tamen subditi ignorantes invincibiliter revocationem, licetè utentur privilegio, quoad usque certam ejus notitiam habeant: actus tamen illius essent invalidi juxta dicta, num. 46, § Secundo est notandum:

Duonanda circa dicta

dum: quod revocatis privilegiis unius Ordinis, non ob id alij Ordines manent illis privati, nec revocata sunt respectu aliorum, cum illo Ordine communicantium; etiam si illi Ordini, cui revocata sunt, fuerint primo, & per se concessa, & aliis per communicationem: eo quod communicatio privilegiorum, privilegium sic facit proprium Ordinis communicantis, ut ille illud possideat, independenter ab Ordine, cui per se fuit illud concessum: & sic in conservari non dependet à prio i. Pellizzar. tract. 3. cap. 1. sect. 6. num. 104. Bordonus resolut. 51. num. 132. Miranda in Manuali. tom. 2. quast. 42. art. 5. Suarez lib. 8. cap. 76. num. 14.



PUNCTUM VI.

Qualiter viva voce Oracula revocata fuerint à Gregorio XV. & Urbano VIII.

Agenda in hoc puncto proponuntur.

49. **H**ic solet ab aliquibus tractari de diversis revocationibus, diversis factis temporibus, quod longissimum esset percurrere. Sed quia celebres sunt aliqua, & generales, ac passim obvia; de illis est nobis pro exacta hujus materiae notitia agendum. De privilegiis à Tridentino revocatis, an possint illis uti in conscientia Regulares late egimus cap. precedenti punct. 8. Quare modo de celebri revocatione Oraculorum, facta à Gregorio XV. & Urbano VIII. disputabimus, quia passim plura Ora-

cula citata reperies, & stat inter Authores dissidium, an sint, nec ne revocata? Et quia hæc materia adeo frequens, & necessaria est, conveniens duximus, aliquantulum in ea immorari: ad quam nobis hoc tractatu, & aliis passim recurrendum erit: & sic hoc punctum in tres §. dividemus. In primo quæ sunt certa, & communia apud Authores exponemus. In secundo, & tertio duplicem gravissimam difficultatem circa hanc materiam discutiemus.

§. I.

In quo differat Oraculum à Bullato privilegio, & quæ sint Oracula, quæ certo non sunt à dictis Pontificibus revocata?

50. **S**ciendum igitur est privilegia Bullata, ab eis, quæ ore tenus conceduntur, & oracula nuncupantur, non differre in eo, quod inæqualem habeant valorem; habent enim æqualem valorem ad omnia: quia sive scripto, sive absque eo, gratiam Pontifex impendit, nihil de gratia tollit: & sic Leo X. (teste Rodriguez tom. 1. quast. Regular. quastione 7. articulo 7. in fine. & tom. 3. quastione 22. art. 1.) concessit, seu declaravit in gratiam Fratrum Minorum: *Quod non sunt minoris efficacia concessa illis per Oracula, quam si per Bullam, vel Breve concessa forent.* Atque idem docet Sanchez lib. 8. de matrimonio disputatione 29. numero 4. Lezana 3. parte summ. verb. gratia, numero 13. & verb. Oracul. num. 2.

Aa

num. 2.